



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

15. Mortificatio superbiæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

pone custodiam ori meo , & ostium circumstantiæ labiis meis , ut non declinet cor meum in verba malitiæ ; quibus Patrem , & Filium , & Spiritum Sanctum offendam , eisque displiceam.

Aspirationes.

I. *Verbis tuis facito stateram , & frenoꝝ ori tuo rectos : & attende , ne fortè labaris in lingua. Eccli. c. 28. 29.*

II. *Domine refugium meum : da quod jubes , & jube quod vis. Tu nôsti de hac re gemitum cordis mei , & flumina oculorum meorum. Ait S. Augustinus L. 10. Conf. loquens de linguæ continentia.*

III. *Dixi , custodiam vias meas , ut non delinquam in lingua mea. Psal. 38.*

P A S S U S X V.

De Mortificatione Superbiæ.

T E X T U S.

Superbiam nunquam in sensu tuo dominari permittas : ab ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Tob. c. 4. 14.

Cognitio.

Superbia est inordinatus appetitus propriae excellentiae. D. Thomas. Actus verò superbiae, mediante Examine particulari, mortificandi per partes, sunt sequentes:

Actus Superbiae.

1. Humanas laudes inordinatè appetere, iisque vanè delectari.
2. Seipsum, & opera sua vanè laudare.
3. Honores & dignitates inordinatè appetere.
4. Sanctitatem & justitiam, famæ aucupandæ gratiâ, simulare.
5. Insolenter sibi attribuere, quæ non conveniunt.
6. Mente inaniter & superbè intumescere.
7. Elato corde supra vires aliquid attentare.
8. Alios arroganter contemnere.
9. Suo iudicio & consilio plus æquo & pertinaciter adhærere.
10. Discordias cum aliis gerere & fovere.
11. Nolle se aliis subicere & obedire.
12. Acceptum beneficium, elato animo, extenuare, contemnere, oblivisci.

Consideratio motivorum.

Quis superbè intumescere audeat, si
su-

superborum supplicia expendat? Superbia enim Luciferum è cælo præcipitat: Nabuchodonosorem regno privat, bestiisq̄ assimilat: Davidis populum numerantis, regnum gravissimâ pestilentia devastat. *Superbia*, inquit Innocentius Papa de vilit. cond. hum. *vurrim everuit, linguam confundit, prostravit Goliath, suspendit Aman, interfecit Nicanorem, peremit Antiochum, Pharaonem submersit, & Sennacherib interemit. Sedes Ducum superborum destruxit Deus, & radices gentium superbarum arefecit.* O quis igitur fastum comprimere non satagat? Quis Deum, superbis resistentem, non timeat?

Petitio.

Concede mihi, omnipotens DEUS, ut superbiam nunquam in corde meo dominari permittam; ne fastum cum elatis in æternitate infelici deplem; exclamans: *Quid profuit nobis superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra.* Sap. c. 5. 8.

Aspirationes.

I. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Jacobi c. 4.

II. *Redemptor meus, expelle à me spiritum*

*rum superbia, & concede propitius thesaurum
humilitatis tuae. S. August. Med. c. 1.*

III. *Quid superbis terra & cinis? Eccli.
10. An nescis, quod sis miser & miserabilis,
& pauper, & cæcus, & nudus?*

P A S S U S XVI.

Mortificatio vanæ gloriæ.

T E X T U S.

*Non gloriatur sapiens in sapien-
tia sua: & non gloriatur for-
tis in fortitudine sua: & non
gloriatur dives in divitiis
suis: sed in hoc gloriatur, qui
gloriatur, scire & nôsse Me.
Jerem. c. 9. 23.*

Cognitio.

CEnodoxia, seu vana gloria est inordina-
tus gloriæ appetitus; gloria autem
nihil est aliud, quàm clara & bona alio-
rum de nobis notitia seu æstimatio: quæ
si interiùs subsistit, fama nuncupatur; si
verbis proditur, laus dicitur: si aliis signis